

Unde difficiles erunt & περιπολίσσεις ἢ τε Γαράτη, ἢ τε  
 τῆς ὑγίεινος, predictiones, tām mortis, quām salutis, juxta-  
 aphor. 19. Hippocr. lib. 2. Maximē circumspectus debet  
 esse hic Medicus, nam bona sic visa & salutaria sēpissimē  
 in momentō mutantur in pessima. Cūm optimē sese  
 habere ægrotantes tales videntur, morti sunt vicini. Non  
 temerarius proindē neque præceps sit medicus in morbō,  
 qui clanculum, & furtim vitam insidiatur. Infida sunt  
 hujus signa, in fronte salutem, in occipitio mortem  
 habentia. Lethalis semper erit illis, quorum viscera  
 aliās labe quādam sunt infecta. Quò violentius & inten-  
 siūs agit pestis in naturam, ejusque actiones invertit tam  
 animales, quam vitales, symptomataque atrocissima, vomi-  
 tum continuum, virium omnium prolapsum, delirium,  
 abolitionem mentis, surditatem, syncopen, animi deli-  
 quia, respirationem difficultem, pulsū debilem, vermicu-  
 larem &c. habet sibi comites. Similiter nulla salus ex-  
 pectanda erit, quando in copiā bubones, carbunculi & hūc  
 spectantia exanthemata & abscessus tarde prorumpunt, aut  
 prorumpentes statim retrocedunt & sese subducunt, quo-  
 rum malignitas cordi insidias parat certissimas. Fune-  
 stum quoque statim inducunt carbunculi cordi proximi,  
 pustulæ nigricantes, exanthemata livescientia, fœdi colo-  
 ris, extremitatum rigor & frigus, collapsus, sudores fri-  
 gidi, labia veneno turgida, facies Hippocratica & similia.  
 Porrò: autumnales pestes semper habentur magis exi-  
 tiales, & quæ foventur ab Austrō, aut ab aëre venenatō;  
 stragam majorem induisse semper, testantur histo-  
 riæ. Contra verò, salutis spem faciunt vires constantes,  
 non adeò suppressæ aut collapsæ, respectu ad symptomata  
 tum gravitatem habitō & ad expulsionem sufficientes;

medi-